



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Caput VI. De effectibus Baptismi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Baptismi. Cap. VI. 85
cando; quia hoc ipsum quod est detinere aliena, & proximum l&sum non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis in jungendum est, quod satisfaciant proximis & quod desistant à peccato, non est autem in jungendum quod pro peccatis præteritis aliquam poenam patientur.

C A P U T V I .

De effectibus Baptismi.

Quæst. 1. **Q**UINAM sunt effectus Baptismi?

Resp. Ex Divo Bonaventura, *Triplex est s. Bon. in 4^o effectus Baptismi. Primus characteris impres-* diff. 4. art. 1.
sio: Secundus gratia infusio. Tertius Inno- q. 3. 1^o p.
centia restitutio.

Quæst. 2. *Quosnam spirituales fructus nobis affert character?*

Resp. In *Sacramento Baptismi*, ait Divus D. Th. 3. p.
Thomas, imprimitur character, quia per ip- q. 63. art. 6;
sum homo accipit potestatem recipiendi alia in corp.
*Ecclesia Sacra*menta; unde *Baptismus* dicitur
esse *janua omnium Sacra*mentorum: Deinde
distinguit fideles ab infidelibus, ut ait Divus
Bonaventura; tūm divinæ nos participes effi-
cit naturæ. *Divina Beatitudine*, inquit Divus S. Dionys. de
Dionysius, accedentem ad *Baptismum* in sui Eccles. Hierar-
participationem recipit, & proprio lumine ch. cap. 2.
quasi quodam signo ipsi tradit suam partici-
pationem.

Sanctus autem Ambrosius ait: *Spiritu signa-* D. Ambro-
mur, ut imaginem ejus & gratiam tenere lib. 1. *De Spi-*
possumus. Quod tamen intelligi debet de iis riu sancto,
qui nullum obicem ponunt gratiæ, charakte- cap. 6.
rem *Baptismi* recipiendo in statu peccati.

86 T R A C T A T U S II.

D. Th. 3. p. q. 63. art. 4. *Character, ait Divus Thomas, directè qui-
dem & propinquè disponit animam ad ea quæ
sunt divini cultus exequenda. Et quia hæc
idonea non sunt sine auxilio gratia; ex con-
sequenti divina largitas recipientibus cha-
racterem, largitur gratiam, per quam dignè
impletant ea ad quæ deputantur.*

Quæst. 3. *Quosnam fructus affert gratia
Baptismalis?*

Resp. Plures: Primus est delere omnia pec-
cata tam originalia quam actualia, ut præ-
dixerat Ezechiel, cap. 16. *Effundam super vos
aquam mundam, & mundabitimi ab omni-
bus inquinamentis vestris.* Idem asserit Eugen-
nius IV. in Concil. Florentino: *Sacramenti
Baptismi effectus est remissio omnis culpe ori-
ginalis & actualis.* Et, ut ait Divus Augusti-
nus, *Generante carne tantummodo trahitur
peccatum originale: regenerante autem Spi-
ritu, non solum originalium, sed etiam vo-
luntariorum fit remissio peccatorum.*

Secundus effectus gratiæ Baptismalis, est
quod nos hæredes efficiat æternæ salutis. Mar-
ci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit,
salvus erit.*

Tertius effectus est incorporatio Christo:
S. Tho. 1. p. q. 69. art. 5. *Per Baptismum, ait Divus Thomas, aliquis
incorporatur Christo quasi membrum ipsius:
sicut autem à capite naturali derivamus ad
membra sensus & motus, ita à capite spiri-
tuali, quod est Christus, derivatur ad mem-
bra ejus sensus spiritualis qui consistit in cog-
nitione veritatis, & motus spiritualis, qui
est per gratiæ influxum: & ideo consequens
est, quod baptizati illuminentur à Christo
circa cognitionem veritatis, & foecundentur
ab eo fecunditate bonorum operum per gratiæ
infusionem.*

De Sacram. Baptismi. Cap. VI. 87

Quartus effectus est consecutio , seu infusio
omnium virtutum & donorum. Manifestum D. Tho. 3. p.
est , inquit Divus Thomas , quod per Baptis- q. 69. art. 4.
mum aliquis consequitur gratiam & vir- in corp.
tutes.

Ultimus effectus Baptismi , est apertio ja-
nuæ Regni cœlestis. Dicendum , inquit Divus D. Tho. 3. p.
Thomas , quod aperire januam Regni Cœ- q. 69. art. 7.
lestis , est removere impedimentum , quo quis in corp.
impeditur Regnum cœleste introire ; hoc au-
tem impedimentum est culpa reatus pœna ;
ostensum est autem suprà , quod per Baptis-
mum omnis culpa & omnis reatus pœna tol-
litur. Vnde consequens est , quod effectus
Baptismi sit apertio janua Regni cœlestis.

Quest. 4. Baptismus producit-ne eundem
effectum in omnibus adultis illud suscipien-
tibus?

Resp. Certum est , Baptismum non produ-
cere æqualem effectum in omnibus adultis,
quia eum non recipiunt cum æquali disposi-
tione. Adulti verò , inquit Divus Thomas , D. Tho. 3. p.
quia per propriam fidem ad Baptismum acce- q. 69. art. 8.
dunt , non æqualiter se habent ad Baptismum. in corp.

Quidam enim cum majori , quidam cum mi-
norí devotione ad Baptismum accedunt ; &
ideo quidam plus , quidam minus , de gratia
novitatis accipiunt : sicut etiam ab eodem igne
accipit plus caloris qui plus ei appropinquat,
licet ignis quantum est de se , æqualiter ad
omnes suum calorem effundat.

Quest. 5. Quænam sunt bona , quæ nobis
affert tertius Baptismi effectus , qui est resti-
tutio innocentiae ?

Resp. Præcipua sunt duo. Primum est re-
missio totius pœnæ debitæ peccatis , unde ait
Eugenius in Concilio Florentino : Effectus Bap-
tismi est remissio omnis pœna que pro culpa

88 TRACTATUS II.

debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis prateritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum Cœlorum & Dei visionem perveniunt. Et rationem affert Di-

D. Tho. 3. p. vus Thomas. Per Baptismum, inquit, aliq. 69. art. 2. quis incorporatur Passioni & morti Christi, in corp.

secundum illud Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum eo. Ex quo patet, quod omni baptizato communicatur Passio Christi ad remedium, ac si ipse passus & mortuus esset. Passio autem Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum; & ideo ille qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnae sibi debita pro peccatis, ac si ipse sufficierter satisfecisset pro omnibus peccatis suis.

Alterum est, quod nobis præbet vires contra Gloss. in illud concupiscentiam, ut ait Glossa. Per Baptismum, inquit, id agitur, ut vetus homo cruciatur corpus cœfigatur, & corpus peccati destruatur; non ita ut in ipso vivente carnis concupiscentia conspersa & innata repente absumatur, & non sit, sed non ob sit mortuo, qua inerat nato.

Q. 6. Baptismus in voto, quem Theologi vocant Baptismum flaminis, producit-ne eundem effectum, ac Baptismus fluminis seu aquæ?

Resp. Minime, ut enim ait Divus Thomas:

D. Th. q. 68. Universalis ablutio fit in perceptione Baptismi art. 2. ad 2. & in martyrio, propter quod dicitur, quod in martyrio omnia Sacraenta Baptismi complentur; scilicet quantum ad plenam liberationem à culpa & à pœna. Si quis ergo Catechumenus fit habens desiderium Baptismi (quia aliter in bonis operibus non moreretur, quæ non possunt esse sine fide per dilectionem

De Sacram. Baptismi. Cap. VI. 89

operante) talis decedens , non statim pervenit ad vitam aeternam , sed patietur pœnam pro peccatis prateritis ; ipse tamen salvus erit quasi per ignem , ut dicitur I. ad Cor. 3.

Et Divus Bonaventura ait : In Baptismo flaminis , qui est per pœnitentiam & Spiritus sancti gratiam , purificamur à culpa . In Baptismo fluminis purificamur à culpa , & à satisfactoria pœna . In Baptismo sanguinis purificamur ab omni miseria .

S. Bonav. 3^o
p. Centilo-
quii, sect. 48.
De Baptismo,

Quæst. 7. Quinam sunt cæteri Baptismi effectus ?

Resp. Baptismus nos efficit idoneos ad alia Sacra menta suscipienda : Unde Si quis Presbyter , ut dicitur in Canone , Ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum , baptizetur , & iterum ordinetur .

Can. Si quis.
De Presbitero
non baptizato.

Quæst. 8. Baptismus cum fictione susceptus , producit-ne gratiam , recedente fictione per veram pœnitentiam ?

Resp. Per Baptismum fictè susceptum non intelligimus Baptismum simulata & ludicra irrisione collatum , vel receptum , non habentibus ministro & suscipiente intentionem faciendi quod facit Ecclesia ; tunc enim evidens est , non solùm Baptismum nullum sortiri effectum , sed nec Baptismi essentiam continere , ad cuius perfectionem intentio faciendo quod facit Ecclesia , cùm in ministrante , tum in baptizato omnino desideratur .

Per Baptisma ergo fictè susceptum , illud intelligitur in quo quidem omnia ad Sacra menti essentiam pertinentia reperiuntur , & materia debita , & forma solita , & intentio faciendi quod facit Ecclesia : sed tamen per sacrilegam suscipientis , peccati mortalis conci , nec verâ contritione pœnitentis , voluntatem , non sortitur effectum . His præsuppo-

90 TRACTATUS II.

sitis respondeo, recedente fictione, à Baptismo produci gratiam, ut ait Divus Augustinus
Can. Tunc va- relatus in Canone. Tunc valere incipit ad sa-
lere. De Cons. lutem Baptismus, cùm illa fictio veraci con-
dist. 4. fessione recesserit, qua corde in malitia vel
sacrilegio perseverante, peccatorum abolitio-
nem non sinebat fieri.

Ratio est, quia licet facta Sacramentorum susceptio mala sit, ipsa tamen Sacra menta sancta sunt, utpote merita Christi virtualiter continentia; manentque in acceptatione divina, cuius proinde voluntatem movent ad eorum effectum ex merito Redemptoris, sublat o obice, conferendum: quamvis enim opus mortuum reviviscere non possit, quod nunquam vixit, ac proinde sacrilega Baptismi susceptio vivificari nunquam possit; merita tamen Salvatoris, à quibus totam accipiunt Sacra menta virtutem, semper vivunt, & vi tam in Sacramento homini tribuunt per pénitentiam resurgent i: quod egregio exemplo

D. Tho. 3. p. illustrat Divus Thomas. Dicendum, inquit,
q. 69. art. 10. *in corpore* quod Baptismus est quadam spiritualis regeneratio. Cùm autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum forme, nisi sit ali quid impediens, quo remoto forma rei gene rate perficit suum effectum; sicut simul cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto statim incipit moveri deorsum. Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem: unde oportet quod remotâ ea per pénitentiam, Baptismus statim consequatur suum effectum.

Confirmatur ex illo Joannis tertio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto

De Sacram. Baptismi. Cap. VII. 91
non intrabit in regnum Cœlorum: Unde sic
arguo, nemo potest introire in regnum Cœlo-
rum, nisi gratiâ regenerativâ, & peccati ori-
ginalis remissivâ perfundatur: sed gratia rege-
nerativa, & peccati originalis remissiva est
proprius Baptismi effectus: ergo gratia rege-
nerativa & peccati originalis remissiva, quæ
facto converso in justificatione tribuitur, vir-
tute Baptismi reviviscentis confertur, cum
hujusmodi supernaturalis nativitatis effectus,
nunquam ab Ecclesia, nunquam à Patribus
aliis Sacramentis assertus inveniatur.

C A P U T V I I .

De Ceremoniis Baptismi.

Quæst. 1. **Q**UARE ceremoniæ Baptismi
fieri incipiuntur extra fores
Ecclesiæ?

Resp. Ut ait sanctus Carolus. *Ante fores Ec-*
clesiæ qui Baptismo initiandi sunt, offerun-
tur, propterem quod indigni sunt qui more
Fidelium, domum Dei, antequam Christo
Domino se addixerint, ingrediantur.

*S. Carolus
Act. p. 4.
De Cerem. que
præiusquā Bap-
tisma ministretur, ad-
hibentur.*

Quare opus est ut baptizandus aut per seip-
sum, aut per suscipientem, si careat usu ra-
tionis, promittat se velle vivere in fide Ca-
tholicæ Ecclesiæ opitulante gratia Dei.

Quæst. 2. Unde impositio nominis, quæ fit
baptizato?

Resp. *Nomine denique, inquit sanctus Ca-*
rolus, quod parentes imponi volunt, appella-
tur, quod ostendit eum qui Baptismo initia-
tur Christi Domini servituti addici: cùm no-
minis impositio signum sit dominii; quam ob-
causam cùm vellet Deus docere Adam, eum

*D. Carolus,
Act. part. 4.
ibid.*